animi inter homines nactū ſcimus ex fabulis. Prodeat
nunc et ſuos triumphos, ſuas victorias, ſua trophæa depræ-
dicet, qui Buſiridē in Ægypto ſævientem, Antæū in
Mauritania invictum, in Hiſpania Geryonē, in Thracia
Diomedem ſuperaverat; nonne is ab Omphale ore blando,
vibrantibus oculis, emollito ſermone, et totius corporis motu,
delicatiſsima teneritudine ſoluta, fœdū in morē vinculis
aureis irretitus ē dum lina carpſit, et non tam colū quam
et filum heræ ſuæ, quam æternū ſibi dedecus nevit.
Prodeat, qui Cerberum, Hydrasq domuerat; Theseus nonne
is uno mulieris alloquio fractus, uno ictu oculorū devictus,
virtutis omnē memoriam abiecit, ut ſerviret libidini
fœdam ſervitutem. Nonne quem infernales furiæ inmor-
talesq bestiæ vincere non potuerunt, unus oculus devicit?
omnesq eius virtutes ſudoribus acquiſitas obſcuravit.
Produco vobis viſendū potentiſsimū militiæ ducem Ho-
lofernem, videtis quam truculento ac terribili affectu
prodeat? ut ignitis ardoribus ſcintillent lumina? ut
toto ex ore terrores emicent? ut anhelans pectus ſpiri-
tum iaciat? Hunc, qui mortem ipſam atrocitate